

T8

Ab urbe condita II, 13
Il coraggio di Clelia

13 (1) Mucium dimissum, cui postea Scaevolae a clade dextrae manus cognomen inditum, legati a Porsinna Romam secuti sunt; **(2)** adeo moverat eum et primi periculi casus, <a> quo nihil se praeter errorem insidiatoris texisset, et subeunda dimicatio totiens quot coniurati superessent, ut pacis condiciones ultro ferret Romanis. **(3)** Iactatum in condicionibus nequ quam de Tarquinii in regnum restituendis, magis quia id negare ipse nequierat Tarquinii quam quod negatum iri sibi ab Romanis ignoraret. **(4)** De agro Veientibus restituendo impetratum, expressaque necessitas obsides dandi Romanis, si Ianiculo praesidium deduci vellet. His condicionibus composita pace, exercitum ab Ianiculo deduxit Porsinna et agro Romano excessit. **(5)** Patres C. Mucio virtutis causa trans Tiberim agrum dono dedere, quae postea sunt Mucia prata appellata.

(6) Ergo ita honorata virtute, feminae quoque ad publica decora excitatae, et Cloelia virgo una ex obsidibus, cum castra Etruscorum forte haud procul ripa Tiberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranavit, sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit. **(7)** Quod ubi regi nuntiatum est, primo incensus ira oratores Romam misit ad Cloeliam obsidem descendam: alias haud magni facere. **(8)** Deinde in admirationem versus, supra Coclites Muciosque dicere id facinus esse, et pae se ferre quemadmodum si non datur obses, pro rupto foedus se habiturum, sic deditam <intactam> inviolatamque ad suos remissurum. **(9)** Utrumque constitit fides; et Romani pignus pacis ex foedere restituerunt, et apud regem Etruscum non tuta solum sed honorata etiam virtus fuit, laudatamque virginem parte obsidum se donare dixit; ipsa quos vellat legeret. **(10)** Productis omnibus elegisse impubes dicitur; quod et virginitati decorum et consensu obsidum ipsorum probabile erat eam aetatem potissimum liberari ab hoste quae maxime opportuna iniuria esset. **(11)** Pace redintegrata Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, statua equestri, donavere; in summa Sacra via fuit posita virgo insidens equo.